

Q V E S T I O N V M S V P E R G E N E S I M

LXXXVI. Q ut primum de filiis eius vsq; ad illum locum de lenticula narratio perueniret. Ideo quod scriptum est de Isaac, Benedixit eum aut dominus, & exaltatus est homo, & procedens maior fiebat quoad usq; magnus factus est valde: secundum terrenam felicitatem dictum sequentia docent. Exequitur enim factus est: & hinc motus Abimelech, timuit illum ibi esse, ne potentia eius sibi esset infesta. Quod si ergo spiritale aliquid ista significent, tamen secundum id quod ita contigerunt, ideo presignum est, benedixit eum dominus, ut sana fide intelligamus etiam ista temporalia dona, nec dari posse, nec sperari debere, etiam cum ab infirmioribus appetuntur, nisi ab uno deo: ut qui in minimis fidelis est, etiam in magnis fidelis sit: & qui in maiora iniquo fidelis inuenitur, etiam verum accipere mereatur, sicut dominus in Evangelio loquitur. Talia etiam de Abraham dicta sunt, quod ei munera dei prouenerint. Unde non parum edificat sanam fidem pie intelligentibus ista narratio, etiam si de his reb; allegorica significatio nulla posset exculpi. Fiat execratio inter nos & inter te: id est iuratio que maledictis obstringit, quare accidit ei qui peccauerit secundum quam confiderandum est quod & seruus Abraham commemorauit, H narras eis a quibus accepit uxorem domino suo Isaac. **LXXVII.** Quid est quod scriptum est, quod cum venissent pueri Isaac & dixissent, Fodimus puteum & non inuenimus aquam: appellauit eundem puteum Isaac iuramentum. An quauis factum sit, in aliquam significationem sine dubio ducendum est spiritalem: quoniam nihil habet conuenientiam secundum literam, ut ideo iuramentum appellauerit puteum, quod ibi aqua non sit inuenta: quam alij interpretes pueros Isaac inuentam potius aquam nunciasse dixerunt, sed etiam sic quare iuramentum appellatum est, ubi nulla facta fuerunt iuramenta? **LXXXIX.** Quoniam tantus Patriarcha Isaac atque moriatur quare a filio suo venationem & escam, qualem amat pro magno beneficio & promittit benedictione, nullo modo vacare arbitrarum significatione prophetica: maxime quoniam festinat vxor eius ut illam benedictionem minor accipiat, quem ipsa diligebat, & cetera in eadem narratione multum mouent ad maiora intelligenda vel resquirenda. **LXXX.** Quod habent Latini Codices, Ex-pauit aut Isaac pauore magno valde: Graeci habent, ἐξέστη δὲ Ἰσαὰκ ἐκαστον μετὰ δὴν σφόδρα, ubi tanta commutatio intelligitur, ut quaedam mentis alienatio sequeretur. Ipsa enim proprie dicitur ecstasis. Et quia **I** solet in magnarum rerum reuelationibus fieri, in hac intelligenda est facta esse spiritalem admonitionem, ut confirmaret benedictionem suam filio minori, cui postquam irascendum fuit quod fecissent patrem. Sic & de Adam cum propheteretur hoc sacramentum magnum, quod dicit Apostolus in Christo & in ecclesia, Erunt duo in carne vna, dicitur quod ecstasis praecesserit. **Gene. 2. Ephe. 5. LXXXI.** Quomodo annunciata vel renuciata sunt verba Esau Rebeccae, quibus comminatus est occidere fratrem suum, cum scriptura dicat, hoc enim in sua cogitatione dixisse: nisi quia hinc nobis datur intelligere, quod diuinitus ei reuelabant omnia. Unde ad magnum mysterium pertinet, quod filium suum minorem pro maiore voluit benedici. **LXXXII.** Quod habent Latini codices, Isaac dicente filio suo, Vade in Mesopotamiam in domum Bathuel patris matris tuae, & sume inde tibi vxorem: Graeci codices non habent vade, sed fuge: hoc est, ἀπόδρα. Unde intelligitur etiam Isaac cognouisse, quod filius eius Esau de fratre suo in cogitatione sua dixerit. **LXXXIII.** Et surrexit Iacob de somno suo, & dixit, quia est dominus in loco hoc, ego autem nesciebam: & timuit, & dixit, quod terribilis locus hic, hic non est nisi domus dei, & haec est porta caeli. Haec verba ad Prophetiam pertinent, quae ibi futurum erat tabernaculum quod constituit

dominus in hominibus in primo populo suo. Porta K autem caeli sic intelligere debemus, tanquam inde fiat aditus credentibus ad capessendum regnum caelorum.

LXXXIII. Quod statuit lapidem Iacob quem sibi ad caput posuerat, & constituit eum titulum, & perfudit illum oleo, non aliquid idololatriae simile fecit, Non enim vel tunc vel postea frequentauit lapidem adorando, vel ei sacrificando, sed signum fuerat in prophetia euidentissima constitutum, quae pertinet ad vnctionem, Unde Christi nomen a chrysmate est. **LXXXV.** Et vocauit Iacob nomen loci illius domus dei, & Vlamais erat nomen ciuitatis ante. Iuxta ciuitatem dormisse si intelligatur, nulla quaestio est. Si autem in ciuitate, mirum videtur quomodo potuerit illum titulum constituit. **LXXXVI.** Quod autem vouit votum si prosperaretur eundo & redeundo, decimasque promisit domui dei futurae in loco illo, prophetia est domus dei: ubi & ipse rediens deo sacrauit, non illum lapidem deum appellans, sed domum dei, id est, quia in illo loco futura erat domus dei. **LXXXVII.** Quod venit Rachel cum ouibus patris sui, & dicit scriptura, quod cum vidisset Iacob Rachel filiam Laban fratris matris suae, accessit & reuoluit lapidem ab ore putei: magis notandum est aliquid scripturam praetermittere quod intelligere debemus quam vllam quaestionem esse mouendam. **LXXXVIII.** Intelligitur enim quod illi cum quibus primo loquebatur Iacob, interrogati quae esset quae veniebat cum ouibus, ipsi dixerunt filiam esse Laban, quam utique Iacob non nouerat: sed illius interrogacionem respõsionemque illorum scriptura praetermittens, intelligi voluit. **LXXXIX.** Quod scriptum est, Osculatus est Iacob Rachel, & exclamans voce sua fleuit, & indicauit ei, quia frater est eius, & quia filius Rebeccae est: Consuetudinis quidem fuit, maxime in illa simplicitate antiquorum, ut propinqui qui propinquos oscularentur, & hoc hodie fit in multis locis. Sed quaeri potest quomodo ab incognito illa osculum acceperit, si postea indicauit Iacob propinquitatem suam. Ergo intelligendum est, aut illum qui iam audierat quae illa esset, fidenter in eius osculum irruisse, aut postea scripturam narrasse per recapitulationem quod primo factum erat, id est, quod indicauerit Iacob quis esset: Sicut de paradiso postea dicitur, quomodo deus enim instituerit, cum iam dictum esset, quod platurus deus paradysum, & posuerit illic hominem quem finxerat: & multa alia per recapitulationem dicta intelliguntur. **LXXX.** Quod scriptum est, Seruiuit Iacob pro Rachel annis septem, & erant in conspectu eius velut pauci dies, eo quod diligebat illam: quare rendum quomodo dictum sit, cum magis etiam breue tempus longum esse solet amantibus. Dictum est ergo propter laborem seruitutis, quem facile & leuè amor faciebat. **LXXXI.** Si parum aduertatur rei huius narratio, putabitur quod posteaquam Liam Iacob duxit vxorem, deinde seruiuit alios septem annos pro Rachel, & tunc eam duxit. Veruntamen non ita est, sed Laban ei dixit, Consumma itaque septimanam istius, & dabo tibi & hanc pro opere quod operaberis apud me adhuc septem annos alios. Quod itaque ait, consumma septimanam istam: ad nuptiarum celebrationem pertinet, quae septem diebus celebrari solet. Hoc itaque ait, Imple dies nuptiarum septem pertinentes ad istam quam duxisti, & dabo tibi & hanc pro eo quod operaberis apud me adhuc septem annos alios. Deinde sequitur, Fecit autem Iacob sic, & impleuit septimanam eius, id est, septem dies nuptiarum. **LXXXII.** Dedit illi Laban Rachel filiam suam ipsi vxorem. Dedit autem Laban Rachel filiam suam Balam ancillam suam ancillam, & intravit ad Rachel. Dilexit autem Rachel magis quam Liam, & seruiuit illi septem annos alios. Utique apparet quia posteaquam duxit Rachel, tunc seruiuit pro ea septem annos alios. Nimis enim durum & valde iniquum fuit, ut deceptum adhuc differret alios annos septem, & tunc eam traderet quam primo